

essentia bonitatis; nec etiam omnino esse possent in rerum natura, nisi voluisset ea esse Deus, qui est id quod solum est, inquantum scilicet est ipsa essentia bonitatis; sequitur quod quia esse rerum creatarum effluxit a voluntate illius qui est essentialiter bonum, ideo res creatae bonae esse dicuntur. Primum enim bonum, scilicet Deus, "in eo quod est, bonum est," quia est essentialiter ipsa bonitas; sed secundum bonum, quod est creatum, est bonum secundum, quod fluxit a primo bono, quod est per essentiam bonum. Cum igitur esse omnium rerum fluxerit a primo bono, consequens est quod ipsum esse rerum creatarum sit bonum, et quod unaquaeque res creata, inquantum est, sit bona. Sed sic solum res creatae non essent bonae in eo quod sunt, si esse earum non procederet a summo bono. Redit ergo ejus solutio ad hoc quod esse primi boni est secundum propriam rationem bonum, quia natura et essentia primi boni nihil aliud est quam bonitas; esse autem secundi boni est quidem bonum, non secundum rationem propriae essentiae, quia essentia ejus non est ipsa bonitas, sed vel humanitas, vel aliquid aliud hujusmodi; sed esse ejus habet quod sit bonum ex habitudine ad primum bonum, quod est ejus causa: ad quod quidem comparatur sicut ad primum principium et ad ultimum finem; per modum quo aliquid dicitur sanum, quo aliquid ordinatur ad finem sanitatis; ut dicitur medicinale secundum quod est a principio effectivo artis medicinae.

Est enim considerandum secundum praemissa, quod in bonis creatis est duplex bonitas. Una quidem secundum quod dicuntur bona per relationem ad primum bonum; et secundum hoc esse eorum, et quidquid est eis¹ a primo bono, est bonum. Alia vero bonitas consideratur in eis absolute, prout scilicet unumquodque dicitur bonum, inquantum est perfectum in esse et in operari: et haec quidem perfectio non competit creatis bonis secundum ipsum esse essentiae eorum, sed secundum aliquid superadditum, quod dicitur virtus eorum, ut supra dictum est; et secundum hoc, ipsum esse non est bonum, sed primum bonum habet omnimodam perfectionem in ipso suo esse, et ideo esse ejus est secundum se et absolute bonum.

LECTIO V.

TEXTUS

Qua in re soluta est quaestio. Idcirco enim licet in eo quod sunt, bona sint, non sunt tamen similia primo bono, quoniam non quoquo modo sint res, ipsum esse earum bonum est. Sed quoniam non potest

¹ Al. in eis.

esse ipsum esse rerum, nisi a primo esse defluerit,¹ idest a bono, idcirco ipsum esse bonum est, nec est simile ei a quo est. Illud enim quoquo modo sit, bonum est in eo quod est: non enim aliud est praeter quam bonum:² hoc autem nisi ab illo esset bonum, fortasse esse non posset;³ sed bonum in eo quod est esse non posset: tunc enim participaret forsitan bono; ipsum vero esse quod non haberet a bono, bonum habere non posset. Si⁴ igitur sublato ab his primo bono, mente et cogitatione, ista, licet essent bona, tamen in eo quod essent bona, esse non possent: et quoniam actu non potuerunt existere, nisi ea⁵ quod vere bonum est produxisset: idcirco et esse eorum bonum est, et non est simile substantiali bono id quod ab eo effluxit; et nisi ab eo fluxisset, licet essent bona, tamen in eo quod sunt bona esse non possent: quoniam et praeter bonum, et non ex bono essent, cum illud ipsum primum bonum,⁶ et ipsum esse sit et ipsum bonum, et ipsum esse bonum. At non⁷ alba, in eo quod sunt alba, esse oportebit ea quae alba sunt, quoniam ex voluntate Dei fluxerunt, ut essent alba? Minime:⁸ aliud enim est esse, aliud album esse: hoc ideo, quoniam qui ea ut essent effecit, bonus quidem est, minime vero albus. Voluntate igitur boni communicatum est⁹ ut essent bona in eo quod sunt; voluntate vero albi non communicatum ut talis esset proprietas,¹⁰ ut esset album in eo quod est: neque enim ex albi voluntate defluerunt. Itaque quia voluit ea esse alba qui erat non albus, sunt alba tantum; quia vero voluit ea esse bona qui erat bonus, sunt bona etiam¹¹ in eo quod sunt. Secundum igitur hanc rationem cuncta oportet justa esse, quoniam justus est ipse qui ea esse voluit. Nec hoc quidem: nam bonum esse ad essentiam, justum vero esse ad actum respicit. In Deo autem idem est esse quod agere:¹² igitur idem est esse bonum quod justum. Nobis vero non est idem esse quod agere: non enim simplices sumus. Non igitur nobis idem est bonos esse quod justos; sed idem nobis est esse omnibus in eo quod sumus.¹³ Bona igitur omnia sunt, non autem¹⁴ justa. Amplius. Bonum quidem generale est, justum vero¹⁵ speciale; nec species descendit in omnia: idcirco alia quidem justa, alia aliud. Omnia igitur bona.¹⁶

EXPLANATIO

Postquam determinavit veritatem praemissae quaestionis, hic solvit objectionem, ex qua concludebatur quod bona creata sunt bona in eo quod sunt similia primo bono; et circa hoc duo facit. Primo solvit objectionem; secundo colligit quae dicta

¹ Al. ut ipsum esse rerum non a primo esse defluerit.

² Al. praeterquam quod bonum est.

³ Al. hoc autem, nisi ab illo, nisi esset bonum, fortasse esse posset.

⁴ Al. omittitur si.

⁵ Al. additur illud.

⁶ Al. illud ipsum bonum primum est.

⁷ Al. additur etiam.

⁸ Al. vel essent alba minime.

⁹ Al. voluntatem igitur boni comitata sunt.

¹⁰ Al. voluntatem vero albi non sunt comitata, ut talis esset proprietas.

¹¹ Al. deest etiam.

¹² Al. idem autem est in eo esse quod agere.

¹³ Al. ordine aptiori. Sed idem esse est nobis omnibus in eo quod sumus.

¹⁴ Al. etiam.

¹⁵ Al. non speciale. Forte non, sed speciale.

¹⁶ Al. alia non; omnia vero bona.